



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Ars Bonæ Mortis. Sive: Quotidiana Erga Sanctissimam Dei Matrem Mariam Pietas**

Ad omnia quidem utilis. Ad felicem tamen mortem obtinendam utilissima

**Hevenesi, Gábor**

**Coloniæ Agrippinæ, 1709**

XXV. Octobris.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50916](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50916)

B. Marinus pietatem in Mariam à fratre B. Damiano hausit, illi se mancipium dicaturus, suomet cingulo collum illigavit, coram icone flexit, seque flagello, ut pigrum servum increpuit; demùm etiam pecuniarium librum ad aram deposuit. Placuisse hoc obsequium Deiparæ tum patuit, dum eum morientem Filii instar invisit. *Petr. Dam.* Hæc una captivitas libertate potior est.

B. Marine ecce me! offer me Mariæ tecum commancipium, utinam eâ sorte, ut sicut illa tibi morienti benedixit, ita & mihi cum morte luctanti adsit propitia, quæ gratia totis imperiis & orbis universi bonis antecedit. O Sanctissima DEI, & mea, Mater pretiosissima! ego N. indignissimus filius tuus ex toto corde, omnibusque tam corporis quàm animæ viribus centies millies, imò infinities te saluto: te omni possibili omnium possibilium & actualium creaturarum affectu amare, &c. f. 190.

Ad quod impetrandum: B. Marini personam privatim hodie imitabor, quantum licebit.

Auctrix peccati Eva, auctrix meriti Maria, Eva occidendo obfuit, Maria vivificando profuit, illa percussit, ista sanavit. *D. Aug. ser. 18. de Nat.*

Quæstio: Utrum Deipara per omnes & singulas vitæ actiones merita sit? *v. Vega Theol. Mar. pal. 28. c. 4.*